DE FOETUS ANIMATIONE DISSERTATIO PSYCOLOGICO-MEDICA...

Giacomo Antonio Menatti



DE FOETUS ANIMATIONE
DISSERTATIO
PSYCOLOGICO-MEDICA INAUGURALIS

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
AC CELEBERRIMIS FACULTATIS MEDICAE DIRECTORE
ET DECANO
NEC NON CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AD

DOCTORIS GRADUM IN RE MEDICA

ASSEQUENDUM

CELEBRATISSIMO IN ARCHIGYMNASIO TICINENSI

EDIDIT

JACOBUS ANTONIUS MENATTI
TRISIVIENSIS E VALLE TELLINA



TICINI REGII.
EX TYP. FUSI ET SOC. SUCCESS. GALEATII.
1819.



VIRIS . PRAECLARISSIMIS

JOSEPHO . MANGILIO

IN . I. R. ATHENAEO . TICINENSI
NATVRALIS . HISTORIAE . PROFESSORI
IBIQVE . MVSEI . COGNOMINIS . PRAEFECTO
IN . GEMINVM . OLIM . LEGISLATORVM
AC . DOCTORVM . HOMINVM . COLLEGIVM
NVNC . IN . SPECTATISS. I. R. SOPHORVM . ORDINEM
MEDIOLANI . INSTITVTVM
PLURESQ. ALIOS . LITERAR. COETVS . OB . INSIGN.
PROMERITA . COOPTATO

ET

J. C. HIACINTHO . GVICCIARDO

NVPER . ITALICI . SENATVS . A SECRETIS
NOBILITAT. GENER. NEMINI . IN . RHAETIA . SECVNDO
INGENVAR. ARTIVM . RERVMQ. NATVRAL. STVDIIS
APPRIME . EXCVLTO

AVCTOR

HOC . QVANTVLVMCVMQ. INGENIOLI . SVI . SPECIMEN
DEVOTIONIS . IN . EOS . SVMMAE . GRATIQVE
ANIMI . CAVSSA
LVBENS . MERITO . DICAT . DEDICAT


174

Viri Eximii.

Humanae animae dum generatim studebam, una de Vestra, Praestantissimi Viri, peculiariter delectabar. Nec immerito; tot enim tantisque raris effulget virtutibus, unde Vos metipsi diros pertinacis morbi cruciatus et damna summa animi poena a me perspecta, heroice spernitis, ut quis miretur oportet. Ac mihi validius admirationis sanctaeque dulcedinis argumentum, quum felici omine sentiam Vestro me tantillum donari amore. Quare ut pateat quanti mihi Vestra fuerit semperque futura sit benevolentia, grato animo hancce meam Vobis devoveo dissertatiunculam, cui satis sors arridebit, dummodo Vestris fruatur auspiciis. Ingenuis quaeso indulgete votis, ac donum exiguum non aspicite, devotum tantum sumite animum.

Dabam Ticini Regii XVII. Calend. Septembris MDCCCXIX.

Jacobus Antonius Menatti.

Multa putaverint se vidisse, de quibus nunc vehementius dubitatur. HALLER Physiol. tom. 8 pag. 1.

PRAEFATIO.

Ne quis miretur me de Animatione locuturum inspiciens, libertatis cuique tributum, suam cum libeat dare suamque oneste tueri sententiam, prachabeat. Anima et ipsa agitatns animam pro viribus meditari et ipse queo. Gratus sum animo: Aronnis aram pene jamjam tactorus reliqui, ut augustissimum Æsculapii templum adirem. Tyrocinio, favente numine, tandem soluto, cum isti nomen sim daturus, libentissime de illa quoque recordor. Cum itaque inauguralis dissertatio legibus jussa sit conscribenda ad hanc supremam Epidaurii sacerdotii assequendam coronam, nec mihi quidem foret secundius, quam pro objecto *Foetus animationem* sumere; etenim dum metaphysico-medice hoc inspicietur, theologicas insimul postulabit rationes atque conspectus. Quamobrem obedientiae devotionisque voto palam omnibus faciam, studia medica a theologicis me haud prorsus reddidisse alienum. Ast mihi erit infinitas scindere contro-

versias, quas de Animatione denso absecondita velo, semper semperque agnoverunt metaphysici naturae investigatores? Tantillus sum puer, maximum est argumentum, mentemque humanam, in qua licet includatur, longe lateque superans. Ac revera, insitis tot rerum naturalium cultorum, summorumque philosophorum conaminibus, profundis undique semper latuit tenebris, vel hypothesibus solummodo superstructum, ut nec immerito inter naturae mysteria soli Divinitati nota omni aevo locetur. Fateor quidem primo primis territum me animum relinquere. Veruntamen licet firmo numinis decreto plerisque in rerum admirationibus cogatur homo hypothesibus tantum haerere; est hominis tamen, plures inter se colligere, seu efformare hypotheses, comparare, et damum, sano dato judicio, de illis meliorem tutioremque amplecti. Duce ratione auctorumque sententiis, nec aliter mihi erit in sublimi Animationis intuitu.

Quid senserunt veteres; quid communiter, quomodo, et quibusnam viribus sentiunt nostrates; quid demum tutius, vel saltem probabilius sentiendum sit, en quae Dissertationem constituunt,

DE FOETUS ANIMATIONE.

Innumerae fere circa Animarum ortum, quarum natura nunquam patuit, neque humanae menti patebit, prodiere omni aevo opiniones, pleraeque vel absurdae, vel hypoteticae, vel imaginariae, vel prorsus ridiculae. Pervulgatum est Epicuri illiusque asseclarum *qualitatis* vocabulum; cuique innotescit Athaeorum, ac Spinosistarum, Stratonisque, *materiem* ubicumque unice intuentium, sententia; Deistarum quoque patet aeterna *duorum entium* existentia, juxta effatum « de nihilo nihil fit « materiei nempe deique cuncta mundialia efformantium. Neque operae pretium putamus, haec deliramenta bonae adversantia rationi, a sanisque Philosophis satis derisa, confutare (1).

Iisdem silentio praeteremus Aegyptiorum, chaldaeorum, ac pithagoricorum opiniones, qui crediderunt animas esse a Deo sejunctas, corporibusque inclusas, sic de illa metempsycoseos Indis etiam nunc praedilecta; nihil

(1) Encyclopedie des Sciences et des Arts, art. *Ame*.

manichaeos faciemus, qui, deistarum fere ad instar, humanas animas Deum ipsum esse putabant; Origenem pariter cum Priscillianistis haud curamus, quorum erat, animas una cum coelestis spiritibus a Deo creatas esse, atque ob poenam criminum luendam ad terrestria corpora animanda traditas; cui quidem aliorum opinio accedit, qui autumabant humanos spiritus cum primo mundi exordio a Deo enatos fuisse, sed in Deo ipso manere; donec mitterentur pro humanorum corporum animatione (1), aut cum Leibnitio (2) in Adamo inclusas, ut filiis traderentur; nec tandem, rem propius intuentes, Romanorum Jurisperitorum sententiam pervolvemus, qui Zenoni, Crisippo, Stoicisque omnibus inhaerentes, opinabantur hominem solummodo animari, cum in lucem prodiebat, ideoque foetus vocabant = partem ventris portionemque viscerum matris = quae Stoicorum sententia, quae etiam Platoni placuit, forte ab illorum sensu gignitur, quod *anima et aer* unum idemque sonent (3) Hujusmodi humanae mentis aberrationes perquam mirificae atque a desipiente imaginatione originem ducentes a summis Philoso-

(1) Soave « Instit. di Log. Metaf ed Etica « dell' origine dell' anima.

(2) Theod. part, 1.

(3) Confol. Plutarc. in Opusc. de Repugnanl. Phylosoph. Stoic, et de Placit. Phylosoph. lib. 5, c. 15. et 26.

phis, praecipua Tullio (1), nec non ab omnibus fare Theologiae Doctoribus, Ecclesiaeque patribus; inter quos Tertullianus (2) atque Lactantius (3) ex integro ventilatae fuerunt.

Verum dum hasce erroneas antiquitatis philosophorum sententias jure meritoque evertere studuere, et ipsi in errorem ceciderunt arbitrariam statuendo opinionem naturae quidem, societati, religionique adversam. Est illis itaque (quod communiter tenetur), per vices humanas animas a Deo creari, humanisque infundi corporibus, cum haec apta cernuntur vitales peragere functiones; ea ratione, qua ab ipsis animae transvolant, hisce functionibus per fractam machinae corporeae oeconomiam cessantibus (4). Credentes vero hujuscemodi functiones non dari, nisi cum sint evoluta praecipua corporis organa, atque sicuti juxta illos hocce occurrit nonnisi procul valde a foecundatione, ac ita ut in mare citius, serius in foemina contingat; hinc foetus *animati*, et *inanimati* distinctionem voluere juxta conceptionis epocham, nec non marem quadragesimo, foeminam vero octuagesi-

(1) Q. Tusc. lib. 1., et de Natur. Deor. lib. 1. cap 11.
(2) De anima cap. 25.
(3) De opifie, Dei cap. 17.
(4) Supra loc. citat.

mo a conceptione die animari (1). Haec opinio probabiliter a veterum medicorum doctrinis forsitan venit, qui licet reapse summi essent in re medica, attamen pluribus opinionibus innixi oculos veritati saepe claudebant, neque tanti phaenomeni justam rationem praebere studebant: nec aliter esse potuit, nam illo aevo naturales scientiae et physicae incertae adhuc erant et densa caligine obtectae.

Galenus testatur (2), foetum tantum animari, cum perfecte organisatus fuerit, scilicet post quadragesimum a conceptione diem. Hanc opinionem non solum ante Galenum Hippocrates sustinuit, verum etiam distinctionem instituens inter foetus masculos et foemineos docuit illos trigesimo, hos vero quadragesimo secundo a conceptione die *dearticulari*, idest organisari, ideoque et illa epoca animari (3). Alibi tamen diversimode opinatus est, dicens: « postquam genitura in uteros pervenit, in septem dies corpus habet quaecumque habere debet « (4); unde eruitur, quod si in septem diebus corpus perfecte efformatur, consentaneum est septimo pariter animari. Haec Hippocratis discrepantia ostendit se tantum arbitrarie hac super re lo-

(1) Cremani de Jure Criminal. v. II. art. 7.
(2) De usu Part. lib. 15. cap. 5.
(3) Lib. 1. de Septim. Part. n. 9., et lib. de Natur. Puer. n. 10
(4) Lib. de Carn. n. 20.

eutum fuisse. Aristoteles, praemissa foetus distinctione in animatum et non animatum, diem quadragesimum pro maris, octuagesimum pro foeminae animatione statuit (1); quam quidem sententiam secuti sunt, uti diximus, unanimiter tum Ecclesiae patres, cum jurisperiti in genere, quamque tenuit et ipse Plinius credulitati libentissime interdum obediens (2), nec non pariter, testante Menochio, divus quoque Aquinas doctor (3).

Tot tantisque perpensis auctoritatibus, tutissima videretur haec opinio; ast terris non degimus Aristotelicis, *neque a cultu sanctis tribuendo cogimur illorum prolata tamquam infallibilia amplecti; neque est Religionis humanam obcaecare rationem:* tum Sancti, cum Ecclesiae Patres utpote homines inspecti in errorem et ipsi labi quandoque valent. Nec irreligiosus noncupandus qui errorem cognoscendo illum avertere tentat, et illi veritatem aequumque tamquam primarium humanarum actionum penus opponit. Veneranda quidem Religio purissimis fulcita principiis, quia a purissimo immortalique scatens principio, in aeternum prolata durabit. Ast dolendum quidem, nonnullos adesse illius praecones, qui fallaci animo impulsi sacra interdum defoe-

(1) Histor. Animal. lib. 7. cap. 3.
(2) Histor. Natural. lib. 7. cap. 6.
(3) Quaest. 118. art. 2.

dant dogmata, cum sibi ipsis permittant novas condere leges, nove turpiter inducere principia, et nimis subtiliter meditori praecepta, atque intempestive cura sacrilegum pedem immittunt io recondito etque impeoetrabili sanctuario; ita ut saepenumero sibimetipsis et religioni noxam inferrunt. Haec quidem primeria censenda est origo, ex qua quotidie sacrae religionis maledici tot dira promunt venena.

Neque erit qui me credat immerito loqui, dum hisce temporibus statuitur Deum esse praecipuum animarum auetorem. Ac re quidem vera, si hoc esset admittendum, religionis dogma de originalis maculae propagatione e primo parente ad posteros per se ex integro deleretur. Quisnam peccavit, poenaque muletetur in Ademo illiusque posteris, nisi enime? Quod si materies patitur, hoc est, quia se praebuit temquam animae instrumentum pro crimine. Ita saltem autumeot celebriores Ecclesiae doctores, qui eodam tempore quotidianum animarum creatorem Deum constitunnt; ita periter postulet revere ratio, nam crimina damnantur, cum sint nonnisi voluntatis sensuumque effectus, ab anima tantummodo, ac unice prodeuntes.

Si animetrix vis humano corpori a Deo consociaretur, Deus injuste ageret. Quaenem reapse aequites humano corpori defoedeto purissimum elligare spiritum, qui stricte loquendo, nil commune cum carne agnoscit, peccati macula inquinare, atque infinitis perquam fu-

nestis tradera poenis, quas Protoplastarum malignitas, veluti Japeti ignis, vel Pandorae lagena reclusit, atque effusit? Cur absque macula maculare animam, morteque mulctare? Creatoris autem gravior quoque esset pravitas, si anima ab ipso cum peccato nonnisi crearetur, quam ut continuo poenae, mortique crudeliter subjiceretur.

Nec sufficit. Statuta in Deo quotidiana animarum origine, concedendum esset, adulterio Deum cooperare, animam in foetum infundendo a furtivis copulis pronatum, eum fere totiea animas creare oporteret, quoties voluntata ducti sexua licet illegitime copularentur.

Vel ergo impius, truculentus, criminumque pater habendus est creator; vel mere somniata originalis macula, nulla sensualis voluntatis scelera, omnesque concessae voluptatis deliciae, licet ab incongruo connubio.

Sed ne haec praemittemus tum notionibus in Deo claris, tum sacris religionis arcania omnimoda opposita, concludendum est, Deum non esse quotidianum animarum fontem. Neu nobis interest arcanam quorundam theologorum sententiam « quod a Natura, bonum, atque huic Deus operam praestat; quod autem a depravata voluntate, malum, huicque non praestat ». Meam ingenue profiteor ignorantiam; haec ignoro verba; attamen scio, quod si animae cum macula enascuntur, hoc nequit esse bonum; atque firmum habeo, animas hominum tum a furti,

vo, cum a legitimo connubio eamdem agnoscere originem; cum aequales sint semper naturae leges a creatore in rerum ordine statutae: hinc Deus esset semper dicendus operis defoedati sibique incongrui pater.

Religionis autem laesio prosequeretur, si in Deo esset animarum initium. Hoc enim dato, incongruum, ne dicam absurdum progigneretur, Deum quotidie cogi animas efformare juxta hominis non modo, sed etiam juxta brutorum voluntatem; quod quidem pugnaret contra Dei magnitudinem atque venerationem.

Summum attingit homo entium catenae, unde mira orditur universi fabrica; nec discrepat ab aliis animantibus, a quibusdam praecipue illi affinibus, quam ob cogitationis, ratiocinii, atque intelligentiae sublimitatem; *sublimitatem*, inquam, etenim observatio et experientia aperte docent, bruta quoque gaudere quadam ratiocinandi facultate et intelligentiae gradu; ac eo magis frui, quo magis homini accedant, pari ratione, qua hujuscemodi qualitates in homine abjiciuntur tanto plus, quo plus ille se brutis appropinquat. Simiae, canes, et elephas brutorum ostendunt exempla; relata vero ad hominem veritas effulget in Cretinis, aliarumque regionum habitatoribus, qui rudiler adhuc vivunt, nullis adstringuntur politicis legibus, atque secundos civilis societatis ignorant effectus; « E un negar l'evidenza « (ait eximius

recens Theologicus Auctor) (1) « il mettere « in dubbio, se i bruti abbiano sentimento, « volontà, scelta, avvedutezza, riflessione, « memoria. » Hinc admirando fas est videre quosdam brutorum species summos ostendere ac vividiores tum nobiles, cum ignobiles animi affectus ac sensus homini proprios, atque unice ab intelligenti anima derivandos. Viva donatum sensibilitate, gratum animum, amorem, commiserationem, benevolentiam, venerationem brutale interdum offert animal; tum ex altera facie odio, iracundia, vindictisque tangitur quoque. Ejusmodi animi qualitates eminenter in elephante cernuntur, qui, testante Plinio, alia praeterea pollet dote, summa et in homine, ab altiorique intelligentia ducenda, idest religione, cuidam Divinitati venerationem impertiens. Haec est pulcherrima elephantis imago a Plinio exhibita (2): « Maximum est elephas, proximumque humanis « sensibus: quippe intellectus illius sermonis « patrii, et imperiorum obedientia, officio« rumque, quae didicere, memoria: amoris « et gloriae voluptas; immo vero (quae etiam « in homine rara) probitas, prudentia, ae« quitas; religio quoque siderum, solisque ac « lunae veneratio. Auctores sunt, in Mauri« taniae saltibus ad quemdam amnem, cui

(1) Palmieri. Analisi de' Sist. dell' Ateismo e dell' Incredulità t. 3, pag. 105.
(2) Plinius, Histor. Natural. t. 1, lib. 8, pag. 435.

« nomen est Amilo, nitescenta luna nova greges eorum descendere; ibique se purificantes solemniter aqua circumspergi: atque ita, salutato sidere, in silvas reverti, vitulorum fatigatos praeseferentes. Alieaae quoque religionis intellectu, ereduntur maria transituri non ante naves conscendere, quam invitati rectoris jurejurando de reditu. Visique sunt fessi aegritudine (quando et illas moles infestant morbi), herbas supini in coelum jacentes, veluti tellure precibus allegata. Nam quod ad docilitatem attinet, regem adorant, genua submittunt, coronas porrigunt.... Elephas homine obvio forte in solitudine, et simpliciter oberrante clemens placidusque etiam demonstrare viam traditur ». Quid clarius ad concipiendam vix sensibilem differentiam bruta inter et hominem?

Ut autem eo melius haec pateat veritas, mens ad leges vertatur, quarum ope portentosum generationis opus completur. Haec naturae functio omnium stupendissima, per quam unice cuncta quae vivunt producuntur ac propagantur, ipsissimis dirigitur legibus tam in homine, quam in brutis, nisi excipiendae sint quaedam postremorum species, uti zoophyta, actiniae, polypi generatim, quae surculis propagantur, ubi nollemus Ellis assertionem amplecti, nempe illa quoque ex ovis enasci.

Juxta ovaristarum systema, utpote observationi rationique magis consentaneum, ab

attentis Halleri periclitationibus, accuratisque inquisitionibus (1) a Spallanzanii iteratis (2) luculentissime patet, ut generatim in animantibus foecundatio contingat, absolute requiri germinum in foeminis praeexistentiam; amborum sexuum interventum; ac demum humoris prolifici, val potius spiritalis aurae supra germen ipsum vim imprimentem. Hae tres circumstantiae tam necessariae evadunt tamque sensibiles, ut pro qualicumque omnium animantium foecundatione constanter et absolute adsint. Atque hic sufficiat praa aliis recordari a Spallanzani (3) inventa per experimenta a dignissimo illius successore plurias annue iterata circa ranarum foecuadationem. Excerptis ab ovariis ovis jamjam maturis atqua humore prolifico inspersis, trium quatuorve dierum spatio girinorum corpuscula, motusque sa in aqua patefaciunt pro illorum extricationa necessaria; quod a contra non cernitur da aliis ovis similitar in fluido aqueo positis, sed minime antea tactis ab humore masculi foecundante: unda concipitur, quod absque duorum sexuum concursu, et humoris prolifici influxu foecundatio locum habere nequit, licet germen adsit. Nec diversus ab hucusque viso est propagandi modus omnis, vastaeque piscium fa-

(1) Elementa Physiol. t. 8. lib. 19. Sect. 1. 2.
(2) Fisico Animal. e Veget. tom. 2. 3.
(3) Loc. citat.

miliae. Amorum tempore mirum est pisces masculos intueri supra amnium lacorumque arenas prosilire, atque illorum spermate ova a foeminis vix vix illuc depositata foecundare. Ast, dum ab ovis humore inspersis prolifico, aquarum solisque radiorum influxu, infinita gignuntur squammigera animalcula ad aquas cohabitandas, alia illorum innumera pereunt, quia haud tacta a foecundante humore. Haec ab observatione, experientia factoque sancita, absolutam praedicant triplicis praedictae conditionis pro foecundatione necessitatem.

Eadem est naturae in homine operatio, nisi differentiam notemus, hominis omniumque viviparorum animalium ova in sinu materno foecundari. Hominem ab ovo enasci, summi recentiores prosectores, physiologi, atque naturae cultores unanimiter affirmant, ita ut effatum eruperit, *animalia omnia generantur ab ovis*; quod autem maris cum foemina conspiratio requiratur pro foecundatione, sancitum itidem est, nunquam enim mulier partum peperit, nisi cum mare copula antecesserit.

Quae cum ita sint, per se fluit, quod si mater natura iisdem incedat legibus ad corpus tum hominis, cum brutorum construendum, si fere aequales cernuntur tam in uno, quam in aliis animationis effectus; animatio pariter, etiamsi qualitative, atque intuitu proprio diversa, eadem fas est nonscat primordia. Haec verum a Creatore re-

petenda quotidie? Perperam, cum sanae adversetur rationi; et quidem cum Deus perpetuus animarum pater statueretur, concedendum esset, quod sane reluctatur, hominis brutorumque voluntati Deum inservire, juxta illorum appetentiam quotidie animas creando; etenim dum naturalis instinctus per se ad procreandum impellat, eodem tempore voluntas quoque illam dirigit atque suadet. Ne ergo Deus existimetur servilis, concludendum est hodiernas animas a Deo non esse.

Quid plura? Sacrae accedunt literae, atque pronunciant, quod septimo a creationis die « Deus requievit ab omni opere quod « patrarat (1) »; et alibi « Certum est (se-« ptimo die) Deum omne opus complevis-« se ». Harmonica mundiali fabrica ex sua educta potentia, ut revelatio testatur, absoluta, quievit Deus, nec amplius creando operatus est. Utpote summo praesidi ipsi tantum arrisit huic praeesse operi, mandare, atque legum omnium in mundo rectricium custodiam exitumque inspicera. Scio quidem nonnullos autumare, Deum solummodo desiisse nova genera novasque creare species, minime tamen illarum multiplicationem. Verum ejusmodi opinionis sectatores summo detinentur errore, ac nonnisi futilissimum praebent effugium. Perfectissimo in omnibus creatore, rem creatam pariter integram tetigisse per-

(1) Gen. II. 2.

foetionem oportet; quod si nobis haud penitus effulget, nostro tantum intuendi cogitandique defectui tribuendum esse censeo: quidquid fuit creatum ipsissimo illius ortus momento a creatore perfectam obtinuit existentiam, legibus constanter temperatam, extremo tantum fini aut mutationi cessuram, cum factrici placebit naturae.

Ex hucusque dictis satis abunde liquet illorum fallacia, qui Deum declarant prouti hodiernum animarum creatorem, eo saltem intuitu, quo illas tunc omni vice producat, cum foetum animatum esse oporteat, uti primi parentis animam ex se eduxit, atque corpori immisit: idcirco ecclesiae patres hanc sustinentes opinionem, propriis oppugnatos armis veritati demum cessuros esse fidendum.

Nec minori quidem adstringitur fallacia foetus distinctio in *animatum*, et *inanimatum*, statuendo animas tan'ti corporibus, nonnisi cum haec valeant vitales peragere functiones (quod valde serius a foecundatione fieri contendunt), nonnisi scilicet cum foetus ex integro fuerit constructus (foetus enim distinguitur in informem, atque perfecte efformatum). Haec distinctio circa generationis operis conceptum, circa imaginarias embrionis foetusque externas formas, nec non circa erroneam vitae ideam a veterum inscitia originem ducit, et veluti falsa habenda est. Gratus vero sit animus naturalium scientiarum cultoribus! Ab istorum observatis, ex

brutorum analogia, perfecta innotuit omnium corporis humani partium conformatio a conceptionis primordio non solum, sed etiam antea, ita ut omoimode per se ruit foetus informis idea. Praetermissis innumeris Lewenoecchii animalculis, organicisque caleberrimi Buffon particulis, quarum quidem intuitu cuique olarior videretur absoluta foetus organisatio a prima illius origine, satis loquuntur sedulae Halleri (1) observationes in fotum, inque non fotum gallinaceum ovum factas, seriusque a Spallanzani sancitas (2). Horum auctorum oculis clara innotuere quaedam pulli adventantis organa in ovo tum incubationi tradito, cum non tradito, unde necessaria fluit illatio, non quasdam tantum, sed omnes futuri pulli partes uno eodemque tempore adesse oportare; quod si omnes oculis non pateot, manca visus nostri potentia ex mediorum deficientia unice inculpanda venit. Praeeunte analogia, idem de homine dicendum. Physiologi, anatomici, nec non naturae cultores recentiores hancce notam comprobaruot veritatem. Quare asseruit Riebe-rand (3) foetus in ovario praeesse non quidem a mundi primordio juxta Bonnet, sed a vasorum spermaticorum sanguinis elaboratione effectos; praeterea veluti novi hominis cadaver foetum esse testatur, etenim ut ille

(1) Loc. citat.

(2) Loc. citat.

(3) Elementi di Fisiol. — Del Concep. tom. 5. pag. 124.

vivificetur, seminalis requiritur spiritus; demum sacoivit omnia foetus organa esse *coaetanea*, uno eodemque momento efformata; neque interesse, ut citius haec, serius vero illa oculis se exhibeant, cum hoc pendeat nonnisi a diversa propriae organisationis natura, ob quam plus minusve apta evadunt ad lucis radia remittenda. Exemplum eorum habetur in systemate nervoso; si enim locus esset praecoci quarumdam partium prae aliis formationi, hoc quidem systema primum carneretur efformatum ob illius in vita officium, atque prius quam cor patefieri, quod non habetur ob majorem illius pelluciditatem. Si ergo, duca observatione, ac facto, vel ratione, aperte innotuit, cuncta foetus organa ante conceptionem praeesse; necessa est animadverti foetus informis ac efformati, indeque animati ac non animati distinctionis falsitatem.

Cum autem sit absolute constructus embrio, per se valet proprio motu exercere organa, nec non se extricare, dummodo vis intima activaque illi communicetur, quod reapse evenit foecundationis actu. Tutissimum venit argumentum a mobilitate, qua illico a foecundatione rubella donatur vitelli ovuli gallinacei foecundati macula, quae e contra in ovo foecundatione carente manet immobilis, quaeque per incubationem cito cor pulli offert, ut Hallerus (1) alique viderunt.

(1) Loc. citat.

Nec minori pollent auctoritate mutationes, quibus viviparorum ovum subjicitur, ac praecipue humanae foeminae statim ac foecundatio contigerit. Tale ovulum ante copulam foecundam immobile, cellulari implicatum textu, internis ovarii parietibus coarctatum, ligamenta scindit, densas discerpit ovarii parietes, Fallopii tubis (quae ante coitum sejunctae, sub illo mirum in modum ovarium circumplectuntur) se committit, uterum pro sua datum evolutione petit, in cujus intimam faciem radices figit, ibique citius seriusve moratur, donec, absoluto tandem incremento, diurnam illieo lucem salutat. Ast hujusmodi ovi, potiusve germinis illud efformantis motus operandique modus nonne erunt forsan ducendi a mira potentia, qua ipso foecundationis puncto donatur ovum, quaque tantummodo extricationem vitamque agnoscit? Nam, illa deficiente, vita nunquam frueretur propria, ac veluti caput mortuum perpetuo maneret, ut videre est, foecundatione interdicta. Haec vero intima miraque vis, docente Mahon (1), germinis licet minimi organa vivificans solaque motrix, eadem est, quae cunctis vitae temporibus motum illi largiri debet. Et revera vix patens hominis extricatio, a vitae primordio integrum usque ad augmentum, est nonnisi germinis juxta eas-

(1) M. L., e P. M. — Dell' aborto. Vol. I, pag. 230.

dam leges extricatio. Nec aliam de germine foecundato, de foetu, neonato, puero, adolescenti atque aetate majori video discrepantiam, praeter illam, quam variati motus variusque vivendi modus constituunt: certum est, a primo foecundationis momento hominem vitae initium motumque proprium adquirere; nec graduatae illius extricationis alia cernitur ratio. Hinc jure statuit Hallerus (1): « siquidem figurati in ovario, et pene per« fecti foetus sunt reperti, necesse est in « ovario etiam vitae novi animalis princi« pium esse ». Sed clariora sunt Harvei verba (2): « certe concludendum est ovum etiam « in ovario dum est (ovum quidem foecun« datione donatum) matris anima non vive« re, sed esse instar filii emancipati a prima « origine, sicuti arborum glandes et semina « a plantis ablata, haud alterius eorundem « partes aestimanda sunt, sed sui juris fa« cta, quae propria insitaque potentia vege« tativa jam vitam degunt ».

Itaque si certissimum est, foetum vivere vitaque propria donari a prima foecundatione, necesse est tunc illi quoque vim adipisci propriam, propriaeque organisationi analogam, sine qua nemini vitae notio innotesceret. Et re quidem vera omnes sanae mentis physiologi, atque pathologi vitae de-

(1) De Gravidit.
(2) Exercit. 26.

finitionem statuentes, vis vitalis necessitatem ponunt, uti physiologo-pathologicis in clarissimorum virorum Spedalieri atque Bacchetti praelectionibus me pluries audivisse delectando recordor. Haec vis vitalis est prima corporis viventis conditio, sine qua et aliae, scilicet organisatio et externae potentiae corpus tantum mortuum efficerent, legibus physicis atque chemicis obtemperans. Hinc necessaria sequitur, quod, si cessante vi vitali, vitam illico cessare debeat, hancce pariter vim adesse oportet, cum vita incohatur.

Siouti mater natura mirum regularemque patefacit ordinem in entium catena, quibus constituitur; ita ordinatis uteumque legibus semperque similibus incedit ad physicas illius gignendas res illis obtemperanda viribus, quae pro rerum diversitate illarumque variata natura a creature ortae, atque mutatae fuere. Ita mineralia attractionis vi componuntur, vegetabilia ope vis vegetativae, animalia tandem vi animationis, uti ipsa *animalis* vox suadet, regenerantur. Constituentes quidem particulae tum mineralis, cum vegetabilis et animalis novi adsunt; ast ut simul coëant ad novum ens efficiendum, positis relativis atque absolutis conditionibus, analoga vis generatrix absolute requiritur. Ergo ut quodcumque ens vitam vivat, aptatam vim praesentem adesse oportet, ergo a prima hominis existentia anima adest, utpote vis unica atque ad propriam regenerationem absoluta; ergo prorsus incongrua

veniat foetus animati ac non animati distinctio.

Verum, nonnulli vitam sejungentes in vegetativam, animalem et sensitivam, forsan propriam atque specificam cuique tribuent animam, quartam alterius cogitantem apponentes, ita ut, juxta illos, primae adesse queant absque postrema. Haec tamen distinctio est prorsus ridicula, imaginaria neque sanae menti vel naturae consona; animus enim anatome praeeunte atque ratione, quod ex. gr. vita sensifera nequit esse, nisi absolute in connubio cum animali ac vegetativa; sic animalis cum reliquis; sicque de vegetativa; ita ut harum vitae divisionum nonnisi idealis distinctio haberi potest, nunquam realis; quod quidem dicendum de vi animatrice analoga imaginaria statuta. Ac, sicuti jam notavimus, cuncta foetus organa coaetaneam agnoscunt originem; ita coaetaneae sunt pariter triplices adsignatae vitae sphaerae, constantissimam efformantes unitatem, ideoque a vi unica animante suffultae; etenim cum unica sit vita physica, eo magis inferendum est de principii animantis unitate. Nec interest Sprengelium distinctionem fecisse inter sphaeram subjectivam et objectivam relate ad cerebrales functiones, ubi vera statuitur anima: haec distinctio quidem bona nonnisi quidem, atque unius principii operationes declarat. Statuam ergo cum eximio Racchetti et Sprengelio ipso arbitrarie datam vitae universalis distinctionem eo tantum intuitu admitti

posse idealiter, ut vitae operationes facilius dignoscantur; sed vita semper unica habenda semperque ab unica vi animante suffulta, cui omnimode in suis sphaeris obtemperatur, juxta quarum vivendi statum et ipsa vis plus minusve manifestatur, extricatur, vel silet.

Quonam ergo pacto absque necessitate entia multiplicare, dum cuncta vitae phoenomena unitatem absolutam circa illorum causam ostendunt? Quod si praedictam fas esset ponere distinctionem, tunc per se vitam degere oporteret, per aliquod saltem temporis spatium, hoc illudve animantis organon ab universali machina sejunctum; quod quidem nunquam visum, neque videndum, licet partis sejunctae organisatio praedictas vitae sphaeras ex integro ostendat; hinc, repetere juvat unicam esse vitam, ab unicoque principio suffultam.

Nec ideo mirandum si a praedictis eruatur vitale principium et animam me unum idemque habuisse. Mihi est anima, aut vis vitalis tamquam unicum et absolutum ens pro vitae animalis efficientia, en ratione, qua mihi pariter unica venit tum vis attractiva; quae absolute requiritur pro mineralium formatione, tum vis vitae, quaecumque sit, vegetabilium. Haec opinio neque sanae menti, neque rationi, nunquam religioni reluctatur. Ac revera cur nequit admitti, quod, dum mineralium materiei vis attractiva insita cernitur, atque forsan haec ipsa altiori elata gradui, vel potius quaedam alia, quam sta-

fuere nequiram, nec auderem vocare animam, nisi infimi admodum gradus, invita affirmante Zacchia (1), sed procul dubio vegetabilium materiei et organisationi analoga; cur, inquam, affirmari nequit, etiam in animantibus, ideoque et in homine vim animationis unicam vigere, quae quidem a materia sejuncta atque distincta, nec non entis proprii generis per se ipsum existentis gradui evecta videtur? Juxta materiei varietatem variamque fabricam, creatorem vim dedisse credendum; quae quidem vis a prima propriaque cujuscumque corporis existentia adest.

Quoniam autem Zacchiae opinionem provocavi, cum ad rem nostram optime faciat, haud praeteream aliquid de illa hic praebere. Etiamsi Zacchias primae animae definitioni ab Aristotile data (2) = Anima est actus primus corporis organici potentia vitam habentis = nequeat se obtemperari; eam juxta Divum Thomam (3) = Opera vitae non possunt esse a principio extrinseco, sed ab intrinseco = (quod nonnisi est anima); attamen cum alia ab ipso Aristotile prolata (4) definitione consentit, dicens: « animam esse « principium vitae, et operationum omnium

(1) Quaest. Med. Legal. part. 2., lib. 9., quaest. I., pag. 2.

(2) De anima 1.

(3) Part. 1. quaest. 118. art. 7. ad 2.

(4) Lib. 2. de Anim. textur. 24.

« corporis viventis; nam quidquid vivit habet « animam, et quidquid habet animam vivit, « et nihil denique non vivens habet ani- « mam: et licet inveniatur habens animam « non esse semper in actu operum vitae (1); « tamen quandocumque operationes apparent, « animae praesentiam arguunt, et quia vita « praecedit semper omnes operationes; idcir- « co antea dictum est, animam esse princi- « pium vitae (2) ». Statuto hoc principio, ulterius declarat auctor, nutritionem, incrementum, partium in omni vivente formationem nonnisi ab anima immediate pendere, a qua pariter emanant sensus motusque viventium; in anima tandem hominis intellectua propriam et ipse agnoscit causam. Nec sufficit pro Zacchia, qui enim praeterea contendit, quod omnes proprietates tum vegetativae, cum sensitivae et rationales, tam genericae, quam specificae atque individuales ab anima quoque progignuntur et peodent. Ita affirmans, omnia organica viventia anima instrui, probat ab anima a genitoribus traducta et traducenda, rosam spinis fulciri, flore pulcherrimo suavissimum spirante odorem ditari; vitim tortuosam evadere, ulmoque indigentem, nec non uvas libandas producere; omnes pariter qualitates ac proprietates tum vegetabilium, cum animantium

(1) D. Thom. part. 1. quaest. 77. art. 1.
(2) Zacch. loc. citat.

generalim atque indistincte progignera; quare demum et hominem erectum incedere, sermone ac loquela frui, nec non omnium perfectissima intelligentia, ob quam cuncta alia animalia ab homine vincuntur, proprioque subjeciuntur imperio. Unde a Zacchia infertur, illudendas esse illorum sententias, qui viventis operationes excerpere satagunt a coelo, a stellis, a mundi anima, a caloris solisque influxu; etenim cum hujusmodi causae sint extrinsecae, miras organici viventis operationes gignere nequeunt. *Ergo recte dictum est animam esse principium vitae, et operationum corporis viventis.*

Licet autem animae in diversis viventibus multum discrepent inter se, ac praecipue ab alia quaecumque distat humana, ita ut haec summe immaterialis sit, ac per se sustineatur, dum pleraeque aliae plus minusve materiei sint affixae atque ab illa inseparabiles; tamen anima quaecumque licet ignobilissima plurimumque materialis, quatenus materiei inhaereat, aliquid Divini videtur participare, unde tanta et tam multa in mentem revolvere ac machinari valeat. Hucusque Zacchias, cujus auctoritas est summa.

Vitam ergo ducit quodcumque vivens, quia ab anima agitatur. Quisnam revera contendere auderet vitam dari absque vi animatrice? Ut alia silentio praeteream, ad hominem dumtaxat mentem admoveo. Traditione a nobis venerata, quidnam de primo parente antequam vitae spiraculum, sive ani-

nam creator illi inspirasset? Vivus an erat? Minime: sacrae testantur literae illum nihil aliud esse, quam inanimatum terreum acervum. Vi ergo animatrice opus fuit, ut vita incoharetur. Quo evicto, cur nollemus ipsum accipere pro vita quoque hodierna? Quid plura? Nonne vita a morte nonnisi ab anima distinguitur, nonnisi a vi vitalis cum corpore unione vel disjunctione? Nonne communiter tenetur, tum vitae finem esse, cum, quacumque accedente causa, vis vitalis obruta illisque orbata conditionibus, quibus dumtaxat materiei organicae unitur et patefit, ipsa vel extinguitur vel surripitur, quatenus finem illi a creatore statutum recte vel nunquam attigerit?

Hic optime dicendum venit de consona Palmieri opinione. Illi est, humanum spiritum duplici vivere modo, tum nempe pro physicae existentiae conservatione ac perfectibilitate, tum etiam pro altiori scopo, aut morali. Haec sunt Palmieri verba (1): « Bisogna non aver mai meditato sull' uomo « per vedere che lo spirito ha due incombenze, mi si permetta la frase, totalmente « distinte. Una riguarda la fisica conservazione e perfettibilità di se stesso; l' altra « riguarda un ordine superiore, o si voglia « dire morale ». Ulterius autem pergit Auctor eximius in suis theologico-metaphysicis

(1) Palmieri loc. citat. pag. 98.

disquisitionibus, ac fere tali modo ratiocinatur. Dum anima humana bina agnoscit munera, brutorum anima (quae quidem merito a Palmieri habetur absoluta) unum dumtaxat agnoscit, ut nempe corpus tantummodo conservetur: silente in brutis vita physica, spiritualis quoque extinguitur, sibi enim quod incumbebat jam factum est, quod non contingit in homine, nam post corporis interitum, arcana lege vigente, quid adhuc pro spiritu remanet; talique ratione convenit Palmieri de humanae immortalitate, deque e contra brutorum animae mortalitate. Ast nostri non est hujuscemodi subjectum: dicemus tantum, a Palmieri cogitatis eruendum esse, quod cum animae physica vitae cura incumbat, cujusque initium sit prima conceptionis epocha; hinc necessario fluit, vim animatricem aliam tunc temporis adesse; quod cum tutissimum sit, prorsus incongruum evadit binas in vita statuere vires, vitalem nempe, atque animatricem, dum unum idemque sint, a quibus vita solummodo pendet. Eruendum est praeterea a sanis Palmieri sententiis, humanam, positis binis illius finibus, praestantia admodum clara atque sensibili necessario pollere prae brutorum anima in facultatibus propriis: hinc altior hominis ratiocinandi cogitandique potentia, intellectus, conscientia; quibus reapse donis altioribus homo a brutis discrepat ac prouti summus rerum omnium dominator sedet atque gubernat.

Tali gressu a factricis naturae sapientia

absolvendus erat: mirus entium mundialium ordo eo magis stupendus, quo magis ab effectibus (etenim felix qui potuit rerum cognoscere causas!) vires, quibus quodcumque ens creatum obtemperatur, detegentur, et analoga materiei structura observabitur, juxta quam praeterea ipsae reciprocae vires manifestari atque discerni fas erat. Hinc reapse quo sublimior ac perfectior cernitur materialis fabrica, eidem eo sublimior atque splendidior analoga vis manifestatur; ex quo proferre licet, juxta majorem vel minorem materiei structurae perfectionem, motricem activamque vim creatorem fecisse atque aptasse; vel e contra, juxta vim praeconceptam, corpus efformasse. Unde concipitur cur in homine, ubi altissimus organisationis perfectae gradus elucet, vis animatrix altissimis polleat qualitatibus illas caeterorum animantium animae longe lateque superantibus: unde pariter concipitur, cur hujusmodi qualitates in animantibus plus minusve distinctae adpareant, quatenus plus minusve perfecta sit organisatio.

Interim ex huc usque observatis habetur, vim vitae vel animationis unum idemque esse tam in brutis, quam in homine, in quo tamen haec vis sua discrepat natura tum quoad munus, cum quoad physicam organisationem; habetur porro, tam in brutis, quam in homine hancce vitae vim esse unicam, utpote unica cernitur materialis vita et organisatio, nec non adesse a primo vitae exordio, nempe a conceptione.

Ad hanc autem postremam veritatem tutius firmandam summarum auctoritatum onus accedit: tametsi sibi metipsi contrarius (1) Hippocrates, hominis tamen conceptionem pervolvens ait: « si autem quis non credat « animam animae immisceri, demens est (2) »; qua quidem sententia firmat Hippocrates, primo conceptionis actu animam adesse, cum credat patris matrisque animae miscelam, utpote necessariam, ut novum illis simile vivens efformetur; quaeque tamen sententia dum ex una parte aptissima est, animationem conceptionis actu declarando, ex altera vero absurdissima, quia animae utpote entis simplicissimi divisibilitatem, ac materialitatem supponit. Loquendo tamen de fallaci foetus in animatum et in inanimatum distinctione rectius hisce verbis se trudit Zacchias: « Ego « vero hanc communissimam opinionem cum « Sennerto (in lib. Hypomacem. n.° 4.) ad « trutinam revocans, et apertissime conspi- « ciens, non posse ullo modo salvari, et ma- « gna ac innumera absurda, quae de neces- « sitate ad eam consequi animadverti, novae « ac veritati magis consonae adhaerere coa- « ctus sum, nempe animam rationalem in « ipso primo conceptionis momento praesen- « tem esse (3) ». Nec diversimode Sikora

(1) Pag. 6. 12.
(2) Lib. 1. de Diaeta n. 24.
(3) Loc. citat. pag. 2.

scripsit (1): « Vita hominis in consociatione « mentis cum corpore consistit, quae conso« ciatio primo conceptionis momento contin« git; hinc illico foetus animatio adest ». Hisce suffultus auctoritatibus idem sancivit et ipse Mahon, cum dixerit (2), foetum animari sub ipsa foecundatione. Ita ex hoc fonte Hyeronimus Florentinus serio sibi metipsi consulens circa summum hujuscemodi objectum, sed ne cum Theologorum communi conflictaretur sententia, de religioso neonatorum lavacro loquens docuit (3), quod cum nondum innotuerit quando foetus animetur, absolute baptizari deberet, licet magnitudine foetus tantummodo hordei grano aequiparasset; unde eruitur auctorem tute tenere, animationem efficere ipso conceptionis puncto; certum enim est tunc temporis ovum humanum haud minorem praebere hordeacei grani magnitudinem.

Certiorem promptioremque tamen ostendere opinionem Theologicae Viennenses, Pragenses, Salamanticenses ac Parisienses Scholae, cum, docente Franckio (4) sibi arrogassent Sikorae sententiam, quam praeterea

---

(1) Conspect. Med. Legal. part. 3. cap. 3.

(2) Med. Legal. vol. 1. — Dell'aborticidio p. 230.

(3) Dissert. Teol. sui parti umani dubbiosi, e sul Battesimo dei mostri.

(4) Polizia Medica v. 3. — Abort. pag. 99. — Nota.

ipsum Parisiense Athenaeum summe proficuam decrevit eo potissimum intuitu, ut rariores evaderent abortus, quos mulieres quaedam saepenumero factitare conantur, nulla rodente conscientia, cum communi Theologorum et Jurisperitorum auctoritate credentes foetum non animari, nisi quosdam post menses a conceptione. Fera credulitas, teterrima malorum Ilias!

Benefica mater natura pro tuenda servandaque viventium familia contra exitiales illius hostes mirum moliebatur generationis opus in animantibus praesertim extrema voluptate ducendum. Hoc libentissime perficitur; ast, dum in caeteris viventium familiis illius fructus mirum in modum perficitur, ab homine (quod toto coelo reluctatur) saepissime voluntarie diruitur. Quare natura dulcissima frustratur spe; societas atque religio pluribus destitutae entibus majori destituuntur dignitate, venustate atque splendore. Quot qualiaque humana entia ultroneae committuntur neci primis vitae periodis non solum a rudibus et feris, verum etiam atque libentius a cultissimis gentibus! Undenam hujusmodi repetenda scelera a brutis non solum nunquam forsan perpatrata, sed etiam summopere execrata? Firmissimum teneo, primariam nonnisi esse causam, quam foetus animati et non animati distinctionem, utpote Theologorum generatim et Jurisperitorum auctoritati innixam. Atque ita sentio, nam quantumvis pudor, poenitentia, contemptus

et dedecoris timor interdum urgere valeant; vehementius tamen naturae imperium illorum impetum coërcet: non ita sane contingit da hypothesi illa, quam nec quidem pura religio, nec aequitas, quae enim imo contemnunt, sed quidam illarum praecones, licet extra voluntariam culpam proclamant atque vindicant, et quod dolendum, sub religionis pietatisqua aspectu; unde ob illorum in humanos quorundam affectus imperium qualemcumque naturae criminisque conscientiam delent, quinimo nefandum invitant scelus.

Illicito exagitatus igne Cypridi adolescens accedit Adonius, ferventemque detegit animum; quo delectata venus similem solvit sermonem: strenuae cupidinis sensusque motus gradatim vividiores tandem agmen attingunt; atque ita individualis affinitatis incedit appetentia, ut, summa naturae lege extremum adepta finem, sensilissima venus jamjam se matrem esse pernoscat: ahu misera! Diris turbatur cruciatibus, tristes erroris sequelas momento praelegens: anxia perquirit, quonammodo tot praecaveri possint miseriae, nec sibi aliud est iter, quam tanti amoris dulcissimum perdere pignus. Ast, avertitur spiritus animusque horrescit; gravis enim naturae vox, huncce fructum matris animo sanctissimum esse imprimens: hoc omnia vincit sanusque dedecoris contumeliaeque dissolvitur metus. At quisnam crederet? Accedunt nonnulli theologi, ac jurisperiti, et imperiti medici, ac tute pronunciant, fructum illum esse in-

formem, inanimatum nequn vitalem: et venus ob nimiam credulitatem nefanda evadit, excusanda tamen, cum devotionis imperio summas teneat nec unquam fallaces illorum sententias; hinc inde male se afficit, tuta diruit de nulla sceleris culpa metuens, cum animam deesse credat; ac tali ratione criminosa fit, ac naturam societatem ipsamque religionem involuntarie contemnit, et matricida evadit, uti Tertullianus ipse opinabatur, dicens: « Homicidii festinatio est prohi« bere nasci.... Homo est qui futurus est (1) ». Hinc scite recens Auctor duxit, aeque homicidium esse tum in solius embrionis, cum in foetus jamjam provecti humanisque oculis integre organisati apparentis, abortu (2). Hinc pariter D. Hyeronimus dolosos abortus tamquam homicidium damnat: « Aliae vero « sterilitatem praebent, et needum nati ho« minis homicidium faciunt (3) ». Haec sunt munera a dolosa data opinione.

Vivit ergo foetus, atque ab hucusque dictis argumentis vitam degit animatam a prima foecundationis epocha. Quod si ab externorum illius sensuum silentio inanimatum esse quis inferre vellet; inferendum itidem esset, juxta Mahon (4), nec neonatum anima-

(1) In Apolog. cap. 9.
(2) Ludovic Ionot. ed art. 123 Constit. Carolin.
(3) Epistol 22. ad Eustoch. de Custodiend. Virgin. pag. 89. tom. 1.
(4) Loc. citat. pag. 232.

tum esse; illius enim motus involuntarios au simpliciter mechanicos esse videntur. Tutius autem animatione carens habendus esset apoplexia, syncope ac *lethargo* detentus, dum illius externi sensus aboliti nullaeque mentales cernuntur functiones; talis quoque, et quidem latiori vi, asphycticus, nam externi sensus non solum, sed etiam interni, motusque omnes et facultates ex integro humanis oculis silent. Attamen nemo illis negabit animam, nec vitam. Foetus, pergam cum Mahon (1), nec tanto indiget studio ad se in utero movendum; nec quis audebit ferre sententiam, hominem sanguinis circuitu adhuc utentem anima haud vivere, quia libere nequit membra exercere. Ac bene dicitur *libere*, quamvis enim nullus pateat motus, rationi tamen est congruum, quemdam adesse motum; nec sane, omni silente motu, ullus corporis foetus extricationi concederetur locus. Quisnam credidisset, parvula conchylia ex materno spiritali organo hisce in animantibus portentose uteri vices gerente vix vix educta, nudato oculo vixque patentia moveri, antequam vafer rerum naturalium cultor sequentem valvularum motum detegisset? Equidem mihi cara semper alenda memoria, dum insimul hujusmodi animantium fabricam moresque edocebam, meipsum illum intuisse motum, summis studiis eximii Prof. Mangili fa-

(1) Loc. citat. pag. 235.

ventibus, qui prae aliis amoenas naturae scientias opulenter ditavit, quas inter satis loquuntur nova supra nuper notata animalcula detecta, atque evicta (1). Itaque neque a silentibus humanis oculis sensibus motibusque animatricis potentiae praesentia contenditur.

Vis animatrix, uti jam patuit, est primarium vitae movens atque efficiens, quo intuitu arcte physico adhaerens, licet ignotis legibus, in illud continuo agere ac reagere cogitur. Ob eandam equidem rationem, qua illa vis sensuum organis absolute indiget, ut extricetur, haec pariter absolutam illius vindicant necessitatem, ut extricentur, augeantur et perficiantur; ita ut licet corpus praeminenter dominetur anima, quodammodo tamen illi obnoxia cernitur, dum corpus animae validius subjicitur; talique modo unica vita habetur. Plus autem, minusve sensuum organis absolutis, pariter plus minusve vis vitae explicatur; et e contra eatenus diversimode exprimitur sensuum qualitas, quatenus juxta majorem vel minorem illorum organisationis, unde gignuntur, perfectibilitatem, majori vel minori energia in ipsos agit anima. Quocumque modo vi sensuum depressa, vitalis potentia vel laeditur, vel suum amittit munus; ita e contra hac infortuniis

(1) Mangili. Nuove ricerche Zootomiche sopra alcune specie di conchiglie Bivalvi.

pressa, ut videre est sub animi pathematibus, sensus plus minusve turbeotur, vel etiam extinguuntur; ita ut illis, dummodo de extinctione non agatur, a noxa obruente liberatis, illa quoque sublevatur; et e contra. Unde patet, corpus existere non posse absque animationis principio, neque hoc sine illo vita frui, ideoque eodem tempore utraque vitam recipere, ex quo sole meridiano clarior harmonica effluit unitas.

Firmis tali modo statuta rationibus foetus animati ac non animati distinctionis fallacia, alia prorsus per se ruit opinio, animationem scilicet in mare citius, serius vero in foemina contingere, a nonnullorum credulitate citius quam foeminam marem extricari. Ut tamen eo melius pateat a veritate rectoque tramite illam esse alienam, rem propius aspicere putamus.

Theologos ac Jurisperitos hancce alere opinionem haud mirum est; altius enim advolantes ac solius animae illiusque operationum scrutinio contenti excelsam propriamque abjicere dignitatem nec non celebratum inquirere candorem arbitrantur, humanum corpus propius perscrutando; unde recte de hoc vix per se pronunciare valent, ideoque quid expectandum ab illis de altissimo hominis primordii mysterio? Nec de illis, inquam, valde miror; sed maxime obstupesco de nonnullis medicis, qui dum animae naturam cognoscentes, quoad saltem fieri potest, ma-

terici quoque fabricam omnesque leges, quatenus saltem liceat, animadvertere gloriantur, eodem tempare illam sustineant opinionem. Quod vero eo magis mirandam est, qood primus inter Medicos, qui hanc tenuere opinionem, omnium summus naturae scrutator Hippocrates fuit. Neo video tantum virum, cujus semper veneranda memoria, quonam pacto ita sensisse contra sanctissima experientiae et observationis praecepta. Fatendum est eo tempore haud recte cogitasse Hippocratem.

Revera ex graviditatis ratione patet, naturam aequalem continno esse, unum idemque statuisse finem tam si in utero masculus quam foemineus evolvatur foetus. Quis enim erit abstetriciae cultor, vel physiologus, qui praecocem partium organicarum evolutionem pro sexus diversitate statuere auderet? Posito verum hoc, mas multo citius quam foemina matrem relioquens diurnam cerneret lucem. Certissimum tamen est, quotidiana docente observatione, foetum tum masculum, cum foemineum quacumque gestationis epocha identidem constanterque eamdem praebere evolutionem ac incrementum.

Dicam demum quod, data diversa corporis foetalis extricatione, prolata opinio non solum haud esset amplectenda, quioimo juxta diversas vitae periodos illi contraria gigneretur, videlicet foemina multo citius quam mas evolveretur, citiusque ideo animaretur. Foemina revera pubertatis epocham prima at-

tingit et citius conceptioni aptior redditur; sublimiores animatricis potentiae operationes citius in illa pariter manifestantur; omnia demum eodem incedunt gressu circa alias praecipuas vitae periodos, ita ut foeminae magis foecundae, et quae pluries graviditatem siot passae, extremum illae plerumque citius absolvunt diem. Caveodum est tamen, ne hac ratione foeminam citius quam marem evolvi atque animari inferatur.

Satis de hac re, cui finem imponam clarissimi Cremani verbis (1): « Ex his par est « intelligere quanti facienda sit quorundam « senteotia, qui quasi recondita naturae clau« stra confregerint et summo Numini assede« rint io conciliis, mares citius, tardius foe« minas animari serio ac tute pronunciaot ».

Jam vidimus antea animas a Deo stricte loquendo esse non posse, animationem inde efficere primo conceptionis actu, ideoque per sa rui distinctionem circa diversam foeminae marisque animationis epocham. Sed quaenam istius animantis potentiae quotidiana origo? Pueri instar novissimos experturi gressus me esse fateor, dum hic mea est fercoda sententia; arcanum enim et summae difficultatis argumentum humanae menti absconditur. Ve-

(1) De Jur. Criminal. vol. 2, art. 8. de Crimin. procur. Abort.

rum arcana etiam ratiocinandi rationi esse obnoxia nemo erit, qui dubitet, nam etsi verum haud inveniatur, tamen inter hypotheses diversas magis probabilem seligi humanae conceditur menti. In hac re pertractanda tali ratione ima geram, ut vana remaneat opponentium expectatio.

Asseram itaque vim in homine animatricem a simili patris anima ope specificae peculiarisque potentiae huic fini sibi a creatore infixae progigni atque infundi per semen virile ad materna vivificanda extricandaque germina, quin tamen mater anima quid sui substantialiter ammittat ob summam illius simplicitatem ac conjunctionem: atque, ut pulcherrima D. Augustini utar imagine, anima fere enascitur et propagatur, uti lux cerei ab alterius luce oritur sine ulla matris lucis diminutione. Hancce de animationis origine sententiam singillatim eripui a De-Simoni in re criminali eximio meaeque patriae honore; qui Scolasticorum quorumdam testimonio suffultus haec refert verba (1) « Ogni buon Filosofo si persuade da invincibili argomenti, « che l' Anima esiste nel seme stesso, per « cui ne viene, che nel momento medesimo « del concepimento l' embrione umano resta « animato, mentre è già esso questo embrio« ne in tutte le sue parti un perfetto corpo

(1) Dei Delitti e delle Pene tom. 2. dell' Aborticidio.

« umano, benchè non per anco pienamente « visibile agli occhi umani, di modo che suc« cessivamente vada l' anima sviluppandosi in « proporzione che va l' organizzazione fisica « medesima svolgendosi, e perfezionandosi. « Sia che le Anime vengano per ogni volta « immediatamente create da Dio, secondo al« cuni (quod tamen falsum declaravimus); « sia che le anime si creino da' proprj padri « da Dio prescelti per istromento di queste « creazione (quod quidem infra patebit) giu« sta alcuni Scolastici, Dio può aver comuni« cato a mere creature la virtù creativa, an« corchè le anime vengano tradotte e propaga« te dalla sostanza unica di Adamo per isvol« gersi e diramarsi nella medesima serie de« gli uomini, a guisa di un albero che pro« duce e propaga la sua specie «. Neque tanto viro decebat dubitare an immediate crearentur a Deo omnae, vel potius e genitoribus iisdem utpote aptatis instrumentis huic fini selectis; nec pariter decebat, nam haec postrema opinio religioni ipsi conveniens, et omnium securissima sedulo est amplectenda; quamobrem ipsos quoque Theologos veritati, et observationi cedere oportet.

Sed ut veritas magis elucescat, opus est ut mens in primis ad quae jam posuimus redeat, nempe animationis vim a Deo immediate suam non posse agnoscere originem. Hoc posito, nec alibi nisi tantum in homine plenaria affulget hujuscemodi operis, animarum nempe originis, ratio. Ac re quidem ve-

ra cur hominis spiritui deneganda facultas sibi analogum procreandi spiritum, cum et illa gaudeat homo quoad corporis machinationem? Est ne contra simplicitatem spiritusque ipsius conjunctionem? Nequaquam; facultas enim generatrix non requirit ut substantia, quae hac facultate gaudet, aliquid sui substantialiter amittat. Reproducitur corpus quin nullatenus propria substantialiter laedatur organisatio; similiter, ac eo fortius se regenerare valet et spiritus, quin essentialiter patiatur. Corpori utpote tali materiales advehuntur particulae, ut novum ens simile enascatur ab ipso; morali e contra quaedam similantur, vel accedunt conditiones, ut novum illi simile habeatur. Haec quidem spiritus sublimitati ex omni parte conveniunt ac perfectioni. Spiritum omnibus donatum esse numeris, communiter habetur; verum non ita, quinimo corpori minor evaderet, generatrici et physico propria illi denegata potentia. Praeterea entis supremi prototypum praedicatur anima, cum qualitatibus illi accedat; ast perperam, si creatrice destitueretur facultate, qua enim creator altius extollitur, indeque homo mystico destitueretur charactere. Quemadmodum primam creator eduxit animam, ita homo tamquam illius prototypum facultate sibi a creatore data consectarias educat oportet.

Ulterius: si cuncta viventia facultate donantur sua omni sensu regenerandi similia, cur illam omnium perfectissimo denegemus homini? Sublime animal tunc abjectiorum es-

set inferius. Quid valeret creatricis naturae jussum, *crescite et multiplicamini?* Praeceptum hoc absolutum equidem et universale universam respicit generis bumani familiam, imo moralem prae physica dum haec sit illi tantum obtemperanda.

Validius autem urget objectum, quum ingenii morumque attendamus similitudiņi, quae inter patrem filiumque saepenumero observatur; quaeque sane, utpote a cogitante proveniens potentia, istius unicam declarat originem. Accidit enim, ut aliquando, dum pater in longaevam deget regionem, uxor filium producat; si vero post aliquod tempus in patriam redeat, filius quodam interno motu ignotum patrem diligit, et ab illo vicissim blanditur; quod quidem sympathiae genus ab eorum corporis animique similitudine pendere necessario debet; a similibus enim similia producuntur: hanc vim parbelle expressit Lyricus Poeta:

« Fortes creantur fortibus; et bonis
« Est in juvencis, est in equis patrum
« Virtus: nec imbellem feroces
« Progenerant Aquilae columbam. (1)

Patet inde generati animam a patris generantis anima proxime nasci.

(1) Ode IV. lib. IV.

Hanc quoque sententiam accepit inter peritissimos ecclesiae philosophos D. Augustinus. Verum quidem est, primo primis illum haesitasse, ne forsan directim adversaretur plerisque ecclesiae doctoribus, etenim Priscillianistis urgentibus, unde pluries frustra sciscitato Hyeronimo, demum ita erupuit: « De « caeterarum animarum adventu, utrum ex « parentibus, an desuper sit, vincant qui po« tuerunt. Ego autem intra utrosque ambi« go, aliquando sic, aliquando autem sic » (1). Alibi (2) tamen, uti refert Rocco Philosophus (3), de originali macula loquens apprime testatur, nullimode animas posse illa defoedari, quando a Deo essent corporibusque traderentur; quod quidem tali suffulcitur modo: qui animam immediate a Deo petunt, ac nihilosecius originali crimine maculatam praedicant, a corpore cohabitando inquinamentum emanari contendunt. Sed quomodo anima e primi parentis semine maculatur, nisi cum semine ipso ortum fateatur? Non datur accidens absque effectivo, aut primitivo objecto. Anima est criminis objectum; ergo nisi anima ex Adami spermate propagatur, nequaquam peccatum per propagationem propagatur. Hucusque Rocco, juxta Hipponensis Episcopi auctoritatem.

(1) Epistol. 28. ad Hyeronim.
(2) De Origin. Animae.
(3) De Immortalit. Animae lib.

Quid clarius? Dum hisce abunde patet animatrices a patre progigni vires, patet quoque istas per semen virile a genitore ad filium traduci. Ita validiori defendunt calamo Tertullianus, Pomponatius plerique alii, ut Rocco testatur (1), illis arcte inhaerendo. Praeter alia validissima verba a Rocco prolata, haec quoque postrema leguntur, nempe humanum semen illa instrui foecunditate, quae *formalem* attingit generationis finem, qui est animatio; ergo anima a seminis feracitate venit. Hoc autem analogia firmatur: quemadmodum canis genitale semen canis animationem facit, ita recte inferendum animam hominis genitalem vim hominis animatricem impertiri. Praeterea brutorum animae ipsam illorum genituram maxima praecellunt virtute, attamen per illam propagantur; aeque inde humana rationalis anima per hominis genituram propagari potest, quantumvis anima longe lateque semen ipsum antecellat. Ita disseruit Rocco.

Ex Rocco autem testimoniis, stricte loquendo, facillime quis accipiet animam haud ab ipsa seminis natura prosilire, sed e contra a patris anima, ac genituram tantummodo sistere, veluti animae ipsius propagationi ductor.

Nec miremur oportet, dummodo praesertim attendamus celsae ipsius seminis naturae,

---

(1) Lib. citat.

nec non cogitatis de illo ideis a medicinae patribus. Pitagoras et Diocles genituram crediderunt spumam optimi sanguinis; Alcmeon cerebri particulam; Plato quoddam medullae spinalis effluvium; Aristoteles ultimae alituae essentiam; Galenus subtilissimae naturae humorem, qui ex toto diffluit corpore; Nemesius demum fluidum dixit in cerebro secretum. Hujusmodi hypotheses licet absurdae, quaota tamen sit dignitas, quodnam excelsissimum sit spermatis munus ostendunt. Quare etiamsi recentes physiologi, omnesque naturalium scientiarum cultores hasce commiserati sint hypotheses, unanimiter tamen testantur, genituram esse sui generis humorem, omnium sublimissimum, quem animalis efformare valeat oeconomia omniumque majori vita quimmo summa pollentem; ita ut apprime videatur, tot tantasque a creatore obtinuisse dotes, ut vis animatricis naturae assentiretur, quae illus ope de genitore ad filium erat traducenda. Nec sane sibi fefellit Zacchias, cum dixerit (1): « Semen est corpusculum a vivente decisum aptum fieri perfectum vivens simile illi, unde est decisum ».

Minori non pretio identidem habendae circumstantiae, quae Physiologo advertente, geniturae ejaculationem comitantur. Quodnam agitantis ignis incendium, quaenam universae

(1) Loco citat.

vitae energeja? Nulla sane alia in animali oeconomia tanta virtute perficitur functio, in qua porro tanta fereque plenaria ab aliis sit animae alienatio, quantam hue quisque detegit. Hinc eum Richerand (1) pergendo inquam, non tantum genitalia spastica fieri ore gana sub seminis jactura, verum et universam conserva vitam, caeteris omnibus alienam, cunctas vires proprias copulando, ut ad unicum genitale systema vergerentur. Huic generali trementi ac fere epileptico motui summa accedit virium spiritusque depressio, tristitia indeque moeror peculiari tamen voluptate saepenumero juncta; quod quidem peculiare non a nimio organorum exercitio, sed potius a proprio tantum potentiali animae dispendio tute petendum esse censeo. Haec omnia a sana observatione factoque prodeuntia tato coelo vindicant vim vitae patrem filio per geniturum traducere.

Neque hic dicendi finis, namque alia adsunt argumenta, et magni quidem ponderis. Sancitum est, testante Richerand (2), praecipue a Spallanzani experimentis, marem pro fecundatione nil impertiri, quam vim vitae, ut individua, quorum foemina germina tantum largitur, animentur. Ecquid erit haec animationis vis nisi anima; cui etenim ex unico hujus cum physica organisatione conne-

(1) Loc. citat.
(2) Loc. citat.

bio animalis constituitur vita? Ab iteratis experientiis sancitum pariter est, Hallero, Richerand, Baudeloque aliisque docentibus, simplicem auram seminalem pro foecundatione sufficere, licet spermatis jactura absolute requiratur; quod quidem posuere, cum viderint saepe saepius germina in ovariis foecundari, quin nec minima geniturae guttula per tubas permeasset. Reapse, quomodo conceptionis jam factae rationem praebere, quando oculis inquirentis physiologi nihil adpareret?

Neque difficile est percipere quod insitam cum aura seminali hoc in casu conceptionis momento principium animationis impertiretur, sic explicari possunt quae in animali generatione eveniunt; nonnullae enim foeminae, quamquam vagina imperforata praeditae, vel parvulum foramen habentes, post imperfectam cum masculo unionem gravidae evadunt, nulla tamen spermatis guttula hoc in casu per vaginam ad uterum accessit, nulla enim adfuit virilis instrumenti introductio.

Ast quis objiciet: si animae a patribus essent, ac per genituram propagarentur, quot frustranei illarum ortus diraque lactha sub tot copulationibus infoecundis, sub tot innumeris genitalis seminis jacturis? Grave quidem objectum patentem tamen includit falsitatem. Quisnam tueri audebit quamcumque geniturae jacturam animatione donari? Genituram rite teneo, uti a praedictis patet, tamquam menstruum creatoris lege apprime ne-

aessarium, ut vis animans a genitoribus ad germina transmittatur: infans revera, in qua nondum contingit perfectae genituræ secretio, generationi est prorsus ineptus. Verum hoc genitale vectabulum absque anima esse potest, uti ex. gr. miasmatis vectabulum sine miasmate saepenumero cernitur. Quemadmodum enim miasma peculiaribus indiget notia faventibus, ut generetur atque evolvatur; ita anima specificas postulat conditiones, ut a sui simili per potentiam a creatore adeptam producatur: hujusmodi securissimae circumstantiae nobis quidem latentes alibi inesse nequeunt, nisi in consentanea copulantium tam morali quam physica relatione; esse nequeunt praeterea extra mutuam utriusque sexus conspirationem: deficientibus itaque hisce quidam ignotis, sed jure supponendis circumstantiis, deficiat oportet et animatio, ideoque et foecundatio. Hocce statuto, facillime intelligitur, geniturae profluvium animatione necessario saepe destitui, praecipue cum attendatur, copulam vel utriusque sexus adventum absolute requiri, ut foecundatio evaniat.

Haec autem hypothesis confirmatur ex fere omnium medicae Politiae scriptorum statuto sana suffulto observatione circa generandi impotentiae causas; inter hasce nempe causas recensetur cujusdam consensus absentia inter relativa copulantium humanorum genitalia organa non solum, sed etiam inter illorum ideas; recenseatur etiam reciproca inter sese

conjugum aversatio, nec non sexuale adimplere tributum omni absente prolificandi desiderio; quod quidem haud semper patet etiam in copula foecunda, ob animae utplurimum abditam voluntatem, quae interdum quoque de secunda in contrariam mutatur. Ex quo concipitur quomodo aliquando foecundatio exoriatur, licet antea adfuisset inter copulantes aversatio; concipitur, inquam, etenim animae voluntas, quocumque momento, juxta varias circumstantias, facillime mutari potest, etiamsi sui ipsius mutationem anima non ostendat. Quibus positis colligitur utrinsque animam, praesentibus insimul physicis circumstantiis, primariam hic ostendere ad generandum partem. Quod quidem officium ab animatrici potentia absolvitur, nonnisi cum peculiares quaedam adsint conditiones, sine quibus foecundatio nunquam habetur; absolvitur etiam perquam raro forsan ob circumscriptam a creatore vim illius procreantem, quin tamen laedatur ipsius animae libertatis donum.

Ecquis erit, qui harum conditionum necessitatem haud cognoscat? Quocumque licet minimo in naturae munere tam generice, quam specifice, tam in mortua, quam in viventi familia, ut impleatur, absoluta quarundam conditionum requiritur necessitas, ideoque quisnam denegabit animationi has conditiones haud esse necessarias, dum sublime et mirificum naturae opus peragitur.

Omnis itaque humoris genitalis jactura, cum naturae legibus adversetur, cumque pra

animatione absolutis careat conditionibus stricte loquendo vitalis, vel animata nuncupanda non est; sed parum interest ad statuendum filium per patris genituram a patre animam accipere.

Sed ut eo melius, omnes et praecipue Theologi hujus veritatis assertionem cognoscant a sanctissimo ac divino libro consilium sumere oportet. A sacris itaque literis traditur animam generari, perque genituram propagari a patre ad filium, cum haec inveniantur verba, *de foemore*, *a lumbis*, relata ad animarum originem (1), quae cum animalia structurae loca tunc temporis tamquam semen fundentia credebantur: « Cunctae animae quae « ingressae sunt cum Jacob in Aegyptum, et « egressae sunt de *foemore* illius absque uxo« ribus filiorum ejus sexaginta sex ». Traditur praeterea, quod Abraham jussu Dei Haran relinquens Saraim uxorem secum abstulit, et *animas*, *quas fecerat in* Haran (2). Ut silentio praeteream tot alia tantaque in divinis libris prolata, eadem Genesis tandem testatur (3), Hevam eductam esse ab homine, nec tamen alterius traditur, creatorem vitae spiritum in illam insufflasse, quem Adam prius a supremo omnium creatore obtinuerat: ergo Hevae anima ex Adamo venit; nec unquam legitur aliam Deum creavisse praeter

(1) Gen. cap. 46.
(2) Gen. cap. 12.
(3) Lib. 1. 11. 23.

Adami animam. Ex quibus innotescere patet, filios a genitoribus ortas per genituram accipere animas, ut illis verbis probatur « *ex lumbis, de foemore* ».

Verum summum tandem exhibet argumentum ipse D. Paulus (1): hic summus Philosophus asserit, Christi sacerdotium Levitico esse nobilius, cum sit praefiguratum in Melchisedech, cui Abraham manubiarum decumas obtulit, hoc est, hostium spolia super victos reges adepta partitus est; ideoque « et per Abra- « ham . . . Levi . . . decimatus est: adhuc enim « in *lumbis* patris erat, quando obviavit ei « Melchisedech ». Ast Levi Abrahami lumbis haud inhaerebat juxta carnem tantummodo, sed etiam juxta animam; secus Christus pariter decimatus esset, cum et ipse juxta carnem ex Abrahami semine prodierit. Est igitur, dempto Christo, omnium hominum animam corpusque a genitoribus progigni, perque genituram propagari.

Veritatis voce satis per me locuta es, Philosophia! Te duce, mystica animantis naturae penetralia tentavi, e quibus tamen sano suffultus ratiocinio exire conatus sum: animas a Deo perperam, sed sane a parentibus potendas esse sustinui, ideoque falsam esse foetus animati, et non animati distinctionem; fateor tamen, haec inter hypotheses versari, etenim *primordia novi hominis ipsa natura velat*. Ve-

(1) Ad Haebr. 7. 9.

rum, Philosophia! Per hypothesium quoque agros te degere aliquando non erubescis, quinimo illarum plurimas comparando meliorem sequi decernis; tuis evictus ego servivi imperiis, atque libentius, cum Religionis, Naturae, et Humanitatis sis mihi locuta sermonem omnium sanctissimum, ac si neglectum, jure timendum. Hoc videant illi, qui opinionem superius a me oppugnatam adhuc defendunt, ut propriam relinquendo certiorem tandem accipiant. Hoc tantum modo aborticidii facinus, si omnino eradicari haud potest, saltem rarius in posterum evasurum erit. Statuta tandem a primo conceptionis momento foetus animatione, tum Ecclesiasticae, cum Politicae leges unicam tantum justamque firmabunt poenam contra horrendum aborticidii scelus, religioni, naturae societatique ominosum. Sic finem quem mihi proposueram, satis superque tetigisse censeo.

~~~~
~~~~

THESES.



I.

Embrio, data foecundatione, licet matri inhaereat, plantarum tamen parasiticarum ad instar vitam jam propriam illico vivit.

II.

Embrionis extricatio absque partium illius constituentium motu non datur.

III.

Prima foetus respiratio sequentibus similis.

IV.

Respiratio organico-physico-dynamicas sequitur leges.

V.

In organorum inflammatione nova adest vasorum aliquando generatio.

VI.

Plerisque sub affectibus abdominis, praesertim musculorum, peritonaei, hepatis et lienis respiratio summopere laeditur.

VII.

Infarctus, vel parectamata viscerum abdominalium modo causam, modo febrium intermittentium sistunt effectum.

VIII.

Obstructiones ex diathesi scrofulosa ortae aut nunquam aut difficilius sanantur.

IX.

Siphylis absque praegressa topica affectione nequaquam locum habere potest.

X.

In Blenorrhaea sistenda Phelandrium Aquaticum optime conducit.
